

Critias (Latin, Ficino)

ΚΡΙΤΙΑΣ

Plato

tr. Marsilio Ficino

Plato Scroll · plato-scroll.netlify.app

Timaeus: Quam grata longum post iter defesso quies, o Socrates, tam mihi post longas disputationis ambages, dulce silentium. Mundum autem hunc re quidem ipsa iandiu, sermone vero nuper deum effectum, ut si quid recte dictum est servet ipse nobis atque custodiat: sin autem indecens quicquam in superioribus non sponte protulimus, meritas a nobis exigit poenas. Debita vero eius qui per ignorantiam negligentiamve erravit poena est ut sciens et diligens efficiatur. Quamobrem ut posthac rectius de deorum generatione loquamur, medicinam nobis a deo medicinarum omnium perfectissimam saluberrimamque dari scientiam exoptamus. Actis denique votis sequentem disputationem Critiae, ut inter nos convenerat, iam concedimus.

Critias: Accipio equidem o Timaeae, et quam tu supra veniam petisti tanquam de rebus magnis disputaturus, eandem ego nunc peto. Immo vero maiorem quoque veniam in iis quae restant tribuendam existimo: quanquam scio procacem quodammodo rusticamque petitionem hanc meam videri posse Dicendum tamen. Quod quidem non recte abs te superiora dicta sint, nemo sanae mentis obiecerit: quod autem quae restant dicenda, utpote difficiliora, maiorem exigant indulgentiam, conabor ostendere: quandoquidem facilius est, ut qui de diis apud homines disserit, satis commode dicere videatur, quam qui de mortalibus apud vos quidem. Imperitia nanque et ignoratio audientium magnam copiam ad ea quae ignota sunt, effingenda, praestare dicentibus consuevit. Quomodo vero sciamus deorum naturam et cognitam habeamus, non ignoramus. Ut autem quod sentio planius vobis aperiam, sic attendite. Quaecunque a nobis dicuntur, tanquam imitationem quandam similitudinisque expressionem existimare debemus. Neque nos latet quae in pictorum effectione circa divina humanave corpora vel facilitas vel difficultas sit, ad hoc ut sufficienter ea repraesentasse spectantibus videantur. Profecto quum terram

pingunt et montes, flumina, sylvas, coelumque omne, quaeve circa coelum consistunt et quae vagantur, primum quidem satis putamus factum, siquis vel exiguam quandam referre possit earum rerum imaginem: deinde utpote talium prorsus ignari nec examinamus quidem pictorum opera, neque etiam redarguimus, sed confusa quadam adumbratione fallacique utimur.

Quum vero quis fingere aggreditur nostrorum corporum similitudinem: tunc propter familiarem ipsam rerum nostrarum animadversionem acutius errata persentimus severique et acres iudices exactoresque sumus adversus eum qui non singula lineamenta coloresque expresserit. Idem quoque in sermonibus intueri licet. Nam satis esse putamus, si de coelestibus divinisque rebus quicquam, vel parum quod conveniens est, afferatur. Mortalia vero humanaque opera exacte nimium examinare solemus. Quamobrem si minus pro dignitate quae statim sunt dicenda, tractabimus, ignoscere decet. Neque enim facile, immo certe difficile mortalia ad opinionem imitatione ipsa exprimi posse putanda sunt. Haec itaque omnia dixi, o Socrates, cupiens

et vos admonere, et maiorem a vobis veniam ad ea quae restant, expetere. Vos autem si iusta petere videor, ultro hanc veniam largiamini.

Socrates: Quidni, o Critia, tibi demus? Quinetiam Hermocrati hoc idem a nobis tertio detur. Constat enim hunc paulo post quum dicturus erit, eadem precaturum. Ut igitur aliter exordiat, neque eadem cogatur repetere, sciat veniam sibi esse tributam: et quasi id constet, ad dicendum protinus accingatur. Praedico autem tibi, o amice Critia, mentem ac iudicium auditorum: mirabiliter enim primus qui in eo dixit poeta probatus est. Quapropter admodum tibi venia opus erit, si officium successoris recte praestiteris.

Hermocrates: Idem mihi, o Socrates, quod et huic nuncias. Caeterum segnes pusillanimesque nunquam palmam consecuti sunt Critias. Sermonem igitur aggredi forti animo decet, ac Phoebos Musisque vocatis, antiquos cives, excellentes viros, summis laudibus illustrare.

Critias: O amice Hermocrates, quia postera tibi dies assignata est: dicentemque alium es secuturus, ideo confidis. Quale vero id sit, ipse forsitan declarabit. Exhortanti itaque tibi, et ad rem ipsam penitus inflammanti parendum. Ac praeter deos, quos tu memorabas, alios insuper invocare decet, praecipueque Mnemosynen, id est memoriam: in qua dea praecipua orationis nostrae momenta sunt sita. Nempe si sufficienter meminerimus recensuerimusque nunc vobis, quae quondam a sacerdotibus tradita, a Solone huc advecta fuerunt, videbimur theatro huic, ut arbitror, satis officio nostro functi. Hoc itaque iam agendum, neque ultra cunctandum. Primum autem commemoremus summam esse annorum novem millium ex quo bellum extitisse traditum est inter eos omnes qui ultra, et eos qui circa columnas Herculis habitabant, quod in praesentia enarraturi sumus. Horum quidem dux fuit haec civitas, bellumque omne, ut dicitur, confecit. Illorum autem insulae Atlanticae reges, quam insulam Libya Asiaque maiorem fuisse quandoque perhibuimus, postea vero coenum ibi invium submersa insula ex terrae concussione relictum, quod quidem hinc illuc altum in mare navigantibus obstat, ne ultra enavigare liceat. Gentes quidem barbaras, quae tunc erant, Graecasque generatim orationis ipsius progressus passim prout occasio dabitur, enarrabit: Atheniensium autem, qui tunc erant, adversariorumque vires in primis respublicasque, et belli ordinem atque successum exponere decet. Horum vero ipsorum, nostra primum narrabimus. Dii quondam universae terrae orbem sigillatim sortiti sunt, in regiones singulas distributum. Neque partitionem hanc contentio fecit.

Nam procul a ratione id esset: quod dii vel quae unicuique ipsorum conveniunt, ignorarent: vel cognoscentes quae potius aliis competunt, aliena iura vicissim usurpare contenderent. Caeterum iudicii iurisque sortibus sua quique ad votum suscipientes, curantesque amicorum singula, regiones habitandas disposuerunt. Hosque veluti greges ipsorum possessionesque et armenta nutrivere, hoc tamen excepto, quod corporibus corpora cogere noluerunt, quemadmodum plagis pecora iumentaue pastores solent. At vero tanquam docile et obediens animal, quasi ex puppe navem agilem dirigentes, persuasione pro gubernaculis utebantur, eaque animam attingebant, et pro arbitrio suo ita ducentes mortale genus omne gubernabant. Et alii quidem dii aliorum locorum gubernationem sortiti ea instituebant: Vulcanus autem Minervaque naturam habentes communem, tum quia eodem ex patre sunt, tum quia per sapientiae studium perque artium diligentiam ad eadem tendunt, ita communem sortem hanc nacti sunt regionem, utpote virtuti prudentiaeque natura propriam atque congruam: procreatesque in ea viros indigenas admodum generosos, eorum mentibus reipublicae ordinem infuderunt. Quorum duntaxat nomina supersunt: opera vero eorum qui successerunt interitu, et longo temporum intervallo, e memoria hominum deleta sunt. Semper enim superstes hominum genus, ut in superioribus diximus, montivagum atque rude, cui potentum in regione virorum nomina solum audita. At praeter haec ex rebus gestis exiguae quaedam notae fuerunt.

Quapropter filiis suis posteri quodam amoris affectu nomina priscorum imposuerunt, virtutum legumque superiorum ignari: nihil enim his habebant praeter famam, et eam non satis certam. Quum vero multa per secula rebus ad victum necessariis indigerent, ipsique et filii mentem his adhiberent, quorum penuria premebantur, deque his verba facerent, rerum antiquarum memoriam neglexerunt. Confabulatio enim

priscarumque rerum

investigatio in civitatibus cum otio simul oriri consueverunt, quum necessaria vitae parata iam sunt, prius vero nequaquam. Atque ita priscorum nomina sunt absque operibus reservata. Dico autem haec ita coniectans, quoniam inquit Solon sacerdotes illos in veteris belli narratione plurima inseruisse nomina posteris persimilia, ut Cecropem, Erechteum, Erichthonium, Erisichthonem, aliaque ex his quae supra Theseum memorantur. Mulierum quoque nomina similiter atque opera eadem, deaeque Palladis figuram et statuam, ita ut belli studia viris tunc essent mulieribusque communia. Nempe ea tempestate armatam deam palam cultam fuisse, exemplum daturam omnibus, quod in singulis animalium gregibus, mas, foeminaque sortis eiusdem, pro generis cuiusque virtute ita natura instituta sunt, ut aggredi omnia communiter valeant. Habitabant profecto tunc in hac regione alia genera civium, qui in artium operibus et agricultura versabantur. Milites autem a divinis viris principio segregati seorsum vivebant, habentes omnia tum ad alimenta, tum ad educationem conferentia. Quorum nullus proprium aliquid possidebat. Nam communia inter se cuncta existimabant. Ultra vero victus ipsius sufficientiam nihil ab aliis civibus exigebant, exercebantque ea omnia quae heri de custodibus quos descripsimus, exposita sunt. Quinetiam vere illud et probabiliter de regione nostra est dictum. Primum quidem illis temporibus fines suos hinc quidem ad Isthmum habuisse porrectos: istinc vero versus Epirum ad summum Cithaeronem atque Parnethen. Qui fines ipso descensu ad dexteram Oropiam attingant, ad sinistram versus mare, Asopo excluso.

Virtute vero universam terram ab hac exuperatam fuisse traditur. Quapropter potuisse tunc regionem hanc, universum accolarum exercitum alere. Argumentum plane virtutis eius

evidentissimum, quia quod ex ea reliquum est, cum quavis alia hoc ipso certare potest, quod et fert omnia, et fructus profert optimos, pascuisque abundat animali cuique accommodatis. Tunc vero non modo speciosa haec omnia, sed etiam uberrima producebat. Quanam ratione id probabile? Quibusve indiciis has esse reliquias illius terrae coniectari potest? Omnis ab alia continenti in pelagus longa velut promontoria porrigens iacet. Quam altitudo maris proxima passim profunditate circumdat. Quum itaque multa ingentiaque diluvia annorum novem millium intervallo praeterierint, (tot enim ex illo tempore ad praesens anni fluxere,) tellus his temporibus colluvionibusque e sublimioribus locis defluens, ne collem quidem, ut alibi locorum solet, accumulavit, dignum saltem mentione: et semper circum desidens in profundum occulitur. Quapropter relictas sunt, quemadmodum in angustis insulis praesentia haec, si cum illis conferantur, quasi corpore per morbum extenuato ossa deterasa nudataque terra molli quadam et pingui: solumque tenue corpus atque aridum mansit. Olim integra terra altissimos montium colles habebat: et agri qui nunc Phellei nominantur, solo pingui fertiles erant. Sylva in montium vertice frequens. Cuius nunc etiam coniecturae quaedam apparent.

Sunt enim montes nonnulli, qui solas nunc apes pascunt, olim vero nec multo tamen anteacto tempore ingentes inde incisae arbores operimentis et contignationibus conficiendis aptissimae, ex quibus aedium amplissimarum structurae adhuc extant. Erant et aliae multae arbores domesticae, mites atque procerae. Quinetiam pascua pecorum uberrima. Praeterea regio haec quotannis, ab Iove frugiferam pluviam hauriebat. Neque ut nunc per declive praeruptumque effusa ex terra in mare aquam fundebat, sed hanc absorptam tenaci quadam concavitate e sublimibus venientem recondens combibensque in viscera demittebat. Unde passim iuges

fluviorum fontiumque rivi scaturiebant, quorum etiam nunc in veteribus fontibus sacra quaedam signa relictas conspiciuntur. Quapropter in praesentia de his vera narrantur. Atque haec erat regionis conditio. Excolebatur praeterea tunc ab agricultoribus, ut consentaneum est, et veris et ad eadem haec intentis, ingeniosis profecto viris et honestorum admodum studiosis, solum fertile nactis, aquam copiosissimam, temperiem aeris singulis anni temporibus saluberrimam. Urbs autem eo tempore sic instituta erat. Primo quidem arcis tunc alia quam nunc erat dispositio. Nunc enim una saltem nox pluviosa, tenue solum quum liquefecisset, terraemotum induxit, et ante illud Deucalionis exitium, tertia prius illuvione fatali. Superiori vero tempore magnitudo eius usque ad

Eridanum Elissumque protensa Pnycem intus et Lycabetum comprehendebat, terminum e regione Pnycis habens. Erat glebosa omnis, paucis locis exceptis a superiori parte plana. Habitantur exteriora eius ad laevam ab artificibus agricolisque, qui proxime agros colebant. Superiora milites soli prope Minervae Vulcanique templum inhabitabant, veluti aedis unius viridarium uno ambitu circundantes. Loca enim eius ad Boream versa colebant, qui communes aedes, atque coenacula quibus hyeme utuntur, parabant: et quaecunque communi civitatis vitae conveniebant, tum haec, tum sacra, sine auro et argento omnia extruendo. Nulla siquidem in re unquam his utebantur. Verum medium inter superbiam illiberalitatemque secuti, honestas habitationes struebant, in quibus et ipsi consenescentes et nati natorum eas posteris sibi similibus relinquebant. Hortis vero gymnasiisque et coenaculis austrum versus expositis utebantur aestate. Erat fons unus, ubi nunc arcis est locus. Quo ob terrae motum exhausto, rivuli circum exigui relictas sunt. Tunc autem affatim omnibus liquorem suggerebat irriguum: cuius erat aestate atque hyeme temperies salutaris. Hac illi ratione loca haec

habitabant, civium quidem suorum custodes, caeterorum vero Graecorum volentium duces, observantes in primis ut semper idem illorum esset numerus, virorum videlicet foeminarumque iam in re bellica fortium: neque minor erat unquam numerus militum quam viginti millia.

Quum igitur tales illi essent, semperque ratione huiusmodi patriam suam et universam Graeciam iuste administrarent, per omnem Europam et Asiam, tam egregio corporis habitu, quam innumeris animi dotibus omnium, qui tunc erant, probatissimi et clarissimi habebantur. Deinceps quales adversariorum ab initio res fuerint, nisi forte quae pueri audivimus memoria exciderunt, vobiscum tanquam amicis communicabimus. Sed antequam referam admonendi estis, ne miremini si plurima barbarorum virorum nomina Graece nunc audieritis. Id enim ex eo contigit, quia Solo quum cogitaret illa carminibus suis inserere, vim ipsam est nominum perscrutatus, invenitque primos illos Aegyptios harum rerum scriptores in linguam suam ea nomina transtulisse. Quare et ipse rursus uniuscuiusque nominis sensum accipiens, in vocem nostram convertit. Atque haec scripta apud avum meum erant, et nunc apud me sunt, quorum iam olim puer curam habui. Si ergo talia nunc audieritis nomina, qualia apud nos sunt, ne miremini: nam huius rei causam intelligitis. Longa vero oratione sit opus, si a principio narrem id quod iam ante dixi: de sortitione deorum, ut terram inter se universam distribuissent, partim in ampliores portiones, partim angustiores, templaque et sacra sibi instituissent. Sane Neptunus insulam sortitus Atlanticam filios ex mortali foemina in quodam insulae loco progenuit huiusmodi. Secus mare, sed in media maxime insula planities erat, quae omnium spaciosissima feracissimaque dicitur extitisse. Prope planitiem rursus in medio mons erat brevis, stadiis quinquaginta distans: hic a quodam eorum qui principio terra nati sunt, nomine Euenore colebatur.

Is ex Leucippe uxore Clitonem unicam filiam genuerat. Parentibus mortuis et matura iam puella. Neptunus eius desiderio captus illi se miscuit, circunsepsitque collem quem habitabat, spiris aquae circunfluis terraeque zonis alterne partim amplioribus, partim angustioribus. Ex quibus duo quidem terrae, tres vero maris fuere circuitus, qui veluti torno descripti pari undique intervallo per insulam mediam distabant, inaccessibilemque hominibus collem ipsum reddebant. Neque enim tunc naves erant, neque navigandi peritia. Ipse vero utpote Deus facile mediam insulam exornavit, humoremque duplicis aquae frigidae et calidae ex terrae abditis per fontes exteriores erumpere, alimenta item varia et abundantia per terras pullulare iussit. Quinque praeterea masculorum filiorum partus geminos progenuit et nutrit. Atque omnem Atlanticam insulam decem in plagas partitus, primogenito maternam habitationem et plagam quae circum erat tribuit, maximam profecto sortem atque potissimam: Regemque illum statuit reliquorum, caeteros vero multarum gentium regionumque principes. Singulis imposuit nomina. Primogenitum quidem vocavit Atlantem, totius insulae regem. Unde et pelagus cognominatur Atlanticum. Eum vero qui eodem partu statim illum secutus est, patria voce Gadirum quem Graece dicimus Eumelum. Qui extremas insulae partes ad

columnas Herculis est sortitus, suoque locum nomine Gadiricum nuncupavit. Secundi partus unum Ampherem, alterum Eudaemonem nominavit. Tertii, primum natum Mneseum, secundum Antochthonem. Quarti autem Elasippum priorem, Mestorem vero posteriorem. Quinti demum, primum Azaem, Diaprepem vero secundum. Hi omnes posterique ipsorum multa ibi secula habitarunt, multis per mare insulis aliis dominantes, etiam his quae Aegyptum usque Tyrrheniamque habitantur, ut praediximus. In maxima certe generatione universum Atlantis erat genus, semperque rex

antiquior regnum primogenito relinquebat: quod imperium multa per secula conservarunt. Tanta vero illis divitiarum copia, quanta nullis antea regum superiorum fuerat, nec ullis unquam posteriorum facile comparabitur. Structa ordinataque illis erant in civitate totoque regno omnia, quorum usus expetit. Multa quidem ad eos extrinsecus, propter imperium accedebant, permulta quoque insula ipsa ad omnem vitae usum pertinentia producebat. Primum quidem omnia quaecunque ex terrae visceribus eruuntur, et quae solida permanent, et quae funduntur, quodve nunc nominatur solum, tunc certe plurimum effodiebatur Orichalcum multis ex insulae locis insigne metallum, tunc apud eos caeterorum excepto auro pretiosissimum. Et quaecunque sylva producit architectis, ferebat abunde. Pascua quinetiam animantibus tam feris, quam domesticis suggerebat. Elephantum praeterea ingens ibi copia. Alebat nempe sufficienter, quaecunque per paludes, lacus, et flumina, sive montes agrosve pascuntur: et hoc quoque vastum animalium genus et voracissimum.

Tum quaecunque tellus nunc odorifera nutrit, radices, gramina, ligna, liquentes succos, flores ac fructus. Suavem praeterea vitis humorem et solidum alimentum, quibus ipsi nutrimur. Illa item quibus pro cibo utimur et obsonii gratia, quae legumina vocitamus. Necnon liquores ex arboribus atque escas ad sitim famemque extinguendam. Neque deerant his unguenta. Accedebant et deliciarum gratia fructus variarum arborum copiosissimi. Aderant quoque satietatis solatia bellaria, laborantibus grata. Haec omnia insula quae quondam erat, sacra, speciosa, miranda, uberrima producebat. Atque haec colligentes ex terra, templa, et regias aedes, portus, navalia, et universam regionem struebant, hoc pacto spiras illas maris, quae antiquam circumdebant metropolim, disponentes. Primo quidem constructis pontibus transitum ad exteriora et ad sedem regiam praebuere, ubi in

dei ipsius maiorumque suorum sedibus statim ab initio regias aedes aedificarunt. Alterque ab altero ornata suscipientes continua successione superiores in exornando pro viribus superabant, quoad moles magnitudine decoreque mirandas fabricaverunt. Foveam porro a mari ad extimum circulum deduxerunt, quae tria iugera in latitudinem protendeatur, centum pedes in altum, in longum stadia quinquaginta. Atque ut ex hoc mari ad circulum illum velut ad portum applicare naves possent, effecerunt patefacto illius ore, ut naves maximas caperet. Zonas item terrae, quibus spirae maris distinguebantur, pontibus secuerunt, ut una triremi navigare ex alia in aliam liceret: supra vero texerunt, ut traiectus navigio esset. Terrenarum nanque zonarum labra alta, mare supereminebant.

Maximus plane circuitus per quem inundabat mare, latitudine stadia complebat tria: proximus huic orbis terrae prorsus aequalis: sequentium vero duorum, aqueus quidem orbis stadia duo, terreus autem humido praecedenti rursus aequalis. stadium denique unum, qui ipsam insulam in medio positam circundabat. Insulae vero in qua regia erat, diametrus, stadia quinque, et hanc circum orbisque et pontem latum ad plethri mensuram hinc atque inde muro quodam lapideo clauserunt, turres portasque in singulis super pontes secundum maris transitus fabricantes. Saxum tum mediis insulae aedificiis, tum spiris illis intus forisque construendis sub insula circumquaque eruebatur, atrum, candidum, rubrum, quae latomiae, ob cavitatem petrae, navalia duo egregia praebebant. Aedificia vero partim simplicia, partim e varii coloris lapidibus fecerunt, ipsa varietate voluptatem secuti. Eius insuper muri, qui exteriorem orbem claudebat, superficiem omnem aere tenui vestierunt: eius vero qui interiorem, stanno: eius denique qui circundabat arcem, orichalco igneo fulgore corusco. Regia vero ipsa intra arcem, ita constructa. In medio sacrum et inaccessible

Clitonis Neptunique templum, aureo ambitu circumdatum. Illuc a

principio convenientes genuerunt decem regum genus, atque ibidem quotannis ex decem regionibus congregati unicuique illorum sacra solennia peragebant. Erat Neptuni templum stadium unum longum, iugera latum tria, altum vero quantum longitudo eius latitudoque exigere videbantur. figura eius speciesque barbarica. Exteriora praeter suprema fastigia argento omnia exornaverunt. Nam culmina ipsa et apices, auro. Intus autem laquearia tota eburnea, auro, argento, orichalco varie caelata conspiciebantur. Verum parietes, columnas, pavimenta orichalco exornaverunt. Deum quidem curru insistentem, tenentemque equorum alatorum habenas, laquearia alta cervice tangentem. Circa hunc delphinis insidentes Nereides centum. Tot enim esse tunc existimabantur. Aderant et statuae donariaque complurima privatorum. Extrinsecus extabant imagines aureae mulierum omnium regiarum, virorumque quicumque ex generibus decem descenderant, multaque et ingentia simulacra donariaque alia regum et privatorum tum ea ex urbe, tum ex aliis eorum imperio subditis. Aderat item altare magnitudine et artificio quod ad reliquum apparatus spectabat, decentibus. Eadem ratione et regia tam amplitudini regni, quam ornamentis sacris convenientia. Utebantur autem fontibus tam calidis, quam frigidis, iugi scaturigine exuberantibus, quibus inerat ad utrumque usum mirifica cum iucunditate salubritas.

Porro circa fontes habitationes constructae erant, et arbores consitae, receptacula quoque aquarum circumposita, partim quidem sub divo patentia, partim vero sub tecto calidis lavacris hyberno tempore accommodata, regia seorsumque privata, atque alia mulieribus, alia item equis, caeterisque iumentis. Decens plane et conferens unicuique servabatur.

Defluum vero irriguumque humorem in Neptuni deduxere lucum, ob foecunditatem soli, arboribus variis et altitudine specieque mirandis refertum. Atque inde in exteriorum circuitum per aquaeductus iuxta pontes derivaverunt. Ubi templa multa delubraque deorum, viridaria, atque gymnasia, partim hominum, partim equorum, seorsum in utraque orbium insula. Sed circa mediam insulam omnium maximam praecipuus erat hippodromus. Cuius latitudo stadium, longitudo per omnem circulum porrigebatur ad equestre certamen. Circa hippodromum utrinque erant stipatorum custodumque dispositae domus. Fidis quidem militibus intra ipsum angustiores circuitum arci quam proximum, commissae custodia: his autem qui caeteris omnibus fide maxime praestabant, in arce ipsa, circa reges habitationes concessae. Navalia praeterea triremibus, omnibusque ad eas pertinentibus instrumentis referta, singulaeque sufficienter exposita. Atque hic erat regiarum aedium apparatus. Transeunti vero portus qui foris tres erant exteriores, apparebat circumquaque murus a mari incipiens valli instar, et stadiis quinquaginta ab amplissimo circulo ac portu undique distans, qui ad os foveae quod versus mare erat, redibat.

Totum vero id colebatur et reliquum quidem spatium multis et frequentibus aedificiis abundabat, sinus autem ipse portusque latissimus plenus erat navibus, mercatoribusque undique confluentibus. Ubi ob frequentem turbam die nocteque clamor continuus ac strepitus ingens audiebatur. Atque ita de urbis et antiquae sedis dispositione, ut olim traditum est, in praesentia iam retulimus. Deinceps vero commemorare conabimur quae natura quive cultus reliquae regionis extiterit. Principio locus omnis editus admodum, iuxta mare abruptus. Regio vero circa urbem campestris omnis, ambiens quidem urbem ambita vero ipsa montibus a mari surgentibus facilis et aequabilis. Eius longitudo tota in alteram partem erat stadiorum ter mille: a medio vero supra, usque ad mare

millium duorum. Situs autem insulae ad austrum vergebat, ab excelsioribus locis Boreae expositus. Montes eius frequentia, altitudine, pulchritudine omnes qui nunc extant, exuperabant. In eis vici complurimi accolarum, atque ditissimi. Neque deerant amnes, lacus, prata, quibus animalia tum fera, tum domestica abunde nutriebantur. Sylva item crebra ac varia singulis operibus materiam affatim suppeditabat. Atque ita locus ille tam natura dispositus, quam multorum regum diligentia opibusque longo tempore erat excultus. Quadrata regio fuit, plurimum recta in longum vergens, sed propter foveam circumerutam recta amissa figura. Cuius profunditas, longitudo, et amplitudo incredibiles dictu. Impossibile nanque videtur tam vastum

opus, cum aliis collatum operibus, manibus hominum esse factum. Dicendum tamen quod audivimus. Iugeris unius erat profunditas, latitudo omnium stadium: quumque esset per universum campum acta, longitudo eius stadiorum decem millia. haec sane fluenta ex montibus demanantia suscipiebat, perque agros revoluta ad urbem hinc atque illinc perveniens, hac tandem erumpebat in mare. Desuper autem ab ipsa latae pedes centum foveae, rectaeque excisae per agrum rursus in foveam mari proximam demittebantur: Altera vero ab altera stadiis centum seiungebatur. Deducebant ex sylvis ligna in urbem, et alia suis quaeque collecta temporibus duplicibus per foveas navibus: fovearum enim tractus oblique sese usque ad urbem intersecabant. Geminos ex terra fructus ac fruges annis singulis colligebant: hyeme quidem Iovis beneficio pluviis tellus madebat, aestate rivis ex aquaeductibus irrigabatur. Circa numerum vero virorum in campestri regione ad rem militarem utilium hic erat ordo, ut suum quaeque ducem pars eligeret praeberetque. Partis autem cuiusque magnitudo decies decem stadia: universorum vero numerus, millia sexaginta. Sed eorum qui montes et alia loca colebant, infinitus: per loca vero et plagas in huiusmodi sortes

secundum duces distributi erant cuncti. Igitur institutum erat, ut dux in bellum inferret sextam curruum bellicorum partem, ad millia curruum decem, equos binos, et equites, rursusque bigam absque sella. Ubi esset et qui parvo clypeo munitus descenderet, et qui ambos habenis vicissim regeret equos.

Armigeros item binos, et sagittarios et funditores utrinque binos: levis armaturae milites, iactores lapidum, iaculatoresque tres utrosque. Nautas quatuor, ad ducentarum millium navium complementum. Hac itaque ratione in regia civitate erant res bellicae praeparatae. Reliquarum vero novem urbium apparatus alibi aliter, et aliter habebat, quarum rerum prolixior narratio sit. Magistratus autem honoresque sic erant principio instituti. Unusquisque decem regum in sua provincia, suaque in civitate hominibus, tum etiam legibus plerisque dominabatur, puniebatque pro arbitrio unumquemque ac morte damnabat. Imperium profecto et communio inter illos secundum Neptuni mandata dirigebantur, quemadmodum leges illis, et literae nuntiabant a maioribus in columna quadam ex orichalco circa medium insulae, in templo Neptuni ipsius inscriptae: Illi igitur quinto et per vices sexto quoque anno conveniebant, tam pari quam impari aequam partem distribuentes. Congregati vero de publicis rebus deliberabant: diligentique examine iudicantes, siqua in re praevaricatus quis esset, damnabant. Quum igitur foret iudicium ineundum, tali se iuramento invicem astringebant. Nam quum essent in templo Neptuni soluti tauri, ipsi decem seorsum ab aliis vovebant deo gratam illi victimam se sine ferro capturos. Unde lignis et laqueis solis venabantur. Et quencunque ceperant taurum, ad columnam tractum, in eius columnae vertice, uti scriptis erat mandatum, protinus iugulabant. Extabat autem in columna praeter leges iuramentum execratioque terribilia his qui non parerent, imprecans.

Quando itaque sacrificiis de more paratis, iam crematuri erant singula tauri membra, impleto cratere guttam sanguinis pro unoquoque infundebant. Reliqua dabant igni, lustrantes columnam. His denique actis, phialis aureis haurientes ex cratere et super ignem libantes iureiurando interposito promittebant iudicatuos se secundum inscriptas columnae leges punituros que eos qui antea deliquissent. Praeterea literarum illarum normam sponte nunquam se transgressuros. Addebant neque praeter patris ipsius leges, vel imperaturos se unquam, vel imperanti obedituros. Haec unusquisque illorum sibiipsi posterisque precatus, bibensque et offerens deo phialam, ad coenam se et necessaria convertebat advenante nocte: igneque victimarum ferme iam extincto, singuli ceruleam colore, et quam pulcherrimam induti vestem, ac penes hostias ambustas humi sedentes noctu, totumque ignem in sacris accensum extinguentes, iudicabantur simul et iudicabant, si quis eorum quempiam tanquam legum transgressorem accusavisset. Post quam vero iudicaverant, diesque illuxerat, in aurea tabula sententias insculptas, eas una cum vestibus monumenta futura posteris, suspendebant. Leges autem et aliae multae circa sacra, regum propriae singulorum, sed hae praecipuae: Ne nunquam sibi inter se bellum inferrent, immo succurrerent omnes, siquis aliqua in

civitate genus ipsorum regium extirpare aggrediretur. Quumque in commune quemadmodum superiores de bello deque caeteris actionibus deliberassent, imperii ius Atlantico generi tribuebant. Caedis autem auctoritatem adversus aliquem cognatorum, regi non concedebant, nisi plures ex decem quam quinque in eandem sententiam convenissent. Talem itaque tantamque potentiam quae in illis tunc erat locis, deus certo quodam ordine ad haec rursus loca deduxit, tali quadam ut fertur, occasione. Multa sane per secula, quoad natura illis divina perseveravit, legibus obediebant, et erga divinum genus ipsis cognatum benigne affecti erant.

Magnificae nanque illorum animis, et verae cogitationes inerant. Unde et modestia utebantur, prudentiaque, et in his quae aliunde et quae inter se incidissent. Quocirca spernentes praeter virtutem omnia, praesentia parvi faciebant, neque efferebantur, sed tanquam onus quoddam existimabant, auri caeterorumque copiam. Neque velut ebrii gemino ex alimento facti in aliquo per incontinentiam aberrabant: immo vero utpote sobrii acute cernebant haec omnia communi ex amicitia una cum virtute incrementum suscipere. horum vero studio et admiratione, disperdi haec, et virtutem amicitiamque deficere. Quoad in eis mens talis et natura divina viguit, creverunt quae supra narravimus omnia: postquam vero divina sors in eis longo abusu crebrisque mortalium legum affectibus inquinata evanuit, mosque humanus praevaluit, tunc primum quia non possent ferre praesentia, dedecori succubuerunt. Nam apud eos qui cernere poterant, turpiter affecti existimabantur, quum pulcherrima ex pretiosissimis perdidissent.

Qui autem rectam ad beatitudinem viam inspicere non valebant, ii eos praeclaros beatosque putabant maxime, quum maxime iniqua plus habendi cupiditate et violentia abundarent. Tunc sane deus deorum Iupiter qui regit omnia legibus, quique potest haec talia cernere, quum depravari generosam stirpem animadverteret, hominesque eos punire vellet, ut adepti temperantiam modestiores concinnioresque evaderent, deos omnes in sedem eorum honoratissimam convocavit: unde tanquam ex medio mundi throno, quaecunque generationi subiecta sunt, conspiciuntur. Vocatoque concilio sic est exorsus,

Deest finis Dialogi.